

## De itinere a classibus octavis Pichlum facto

A.d.XIV Id. Ian. octoginta duo discipuli discipulaeque classium 8a,b,c atque novem magistri magistraeque duobus magnis autocinetis in Austriam vecti sunt. Undecim horis postea Pichlum in deversorium in medio monte situm defessi et cibi avidi advenimus.

Decem dies tempestate serena aut turbida itineribus caeruleis, rubris atrisque nartavimus. Et tirones et experti multa didicerunt et cuncti nive pulcherrima gaudebant.

Facile non semper est anabathro nartatorio uti: Nonnulli saepius deciderunt; unus etiam e pegmate sellari cecidit.

Aliquando in tabernam in summo monte sitam devertimus. Ibi noster meridianus cibus paratus est: Aut pilas e farina faeceque factas aut farcimina et poma terrestria assa edimus et limonatam bibimus.

Tertio die imbris causa nartare non potuimus. Itaque tramine Schladmingum vecti sumus, ubi alii tabernam cafeariam petiverunt, alii in pantopolium ierunt, alii oppidum spectaverunt.

Mane athleticae matutinae nos tradere debebamus: Id gaudio nobis non erat. Vesperi ludus pilae mensalis saepe ludebatur.

Bis nonnulli discipuli in valetudinarium ierunt, quod doloribus vexabantur. Bracchia duorum puerorum gypsata sunt.

Die ultimo certamen fuit: decursio flexuosa. Omnes spatium brevi tempore nartis decucurrerunt. Victores in tres classes tributi sunt: tirones, semi-experti, experti.

Denique laeti defessique Berolinam revecti sumus.

### Classis 8b

#### Anmerkungen:

magnum autocinetum	Reisebus	tramen	Zug
deversorium	Herberge	pantopolium	Supermarkt
nartare	Ski fahren	athletica matutina	Frühsport
tiro	Anfänger	ludus pilae mensalis	Tischtennis
anabathrum nartatorium	Skilift	valetudinarium	Krankenhaus
pegma sellare	Sessellift	bracchium	Arm
pila e farina faeceque facta	Germknödel	gypsare	eingipsen
farcimen	Würstchen	decursio flexuosa	Slalom
poma terrestria assa	Pommes Frites		